

isset, prius ad summum pontificem vindicta debuerat pervenire quam culpa. Etenim venerabilis frater noster, episcopus Belvacensis, irruentium in civitate sibi commissa coterellorum et Brabantionum, quos concilii Lateranensis sententia predampnavit et cum suis fautoribus excommunicationi supposuit, impetum reformidans, ut eorum immanitati resisteret, qui funesta tyrannide etiam sacra pollueret non verentur, et in subversione ecclesiarum ac religiosorum locorum plectibili obstinatione grassati sunt, suppositis sibi plebibus convocatis, in eorum exhortationem pariter et ¹⁾ iuvamen et inermis exiit et incautus. Ubi exigente nostrorum mole peccaminum, ac permittente illo qui archam federis Domini a Philisteis incircumcisis pariter et inmundis passus est captivari, ab inimicis ecclesie coterellis et duce eorum nefandissimo Mercadero captus est et detentus. Qui cum eum regi Anglie tradidissent, rex ipse non crimini sed furori vindictam impendens, non satis considerans vel attendens, quanta christum Domini decuisset moderatione tractari, atrocissima mandavit in eum excogitari supplicia, suorum omnium arcens ab ipso colloquium, ipsum quoque tantis ferri ponderibus pregravans, tam variis vinculorum machinationibus astringens, ut capto pontifici nec stare sit licitum nec sedere, adeo ut penarum ipsarum asperitas non tam capti pena pontificis, quam supplicium dici debeat proditoris. Condolemus itaque fratri, sed propensiore dolore et anxietate compatimur ecclesie libertati. Etenim tante crudelitatis exemplo secularium insolentia potestatum contra nostre professionis personas et acerbius excandescet et pleniori securitate deseviet, maxime si tante presumptionis flagitium condignis non fuerit animadversionibus expiatum. Scimus enim quod clerici, sed episcopi maxime, etsi forte flagitiis inveniantur obnoxii, a civili nullatenus possunt iudice detineri, sed canonum tenore perpenso a summo pontifice vel ab aliis rectoribus ecclesiarum iudicari. Quia ergo rancorem indignationis apostolice nos metuimus incursuros, nisi in tanta subversione ecclesiastice ²⁾ libertatis ecclesiarum omnium consuluerimus provisorem, universi et singuli prosternimur (pedibus) apostolice sanctitatis, quantumcunque valemus et modis omnibus quibuscunque possumus supplicantes, ut in regem Anglie et in omnes christi Domini detentores, tales et tantas exerat pater piissimus ultiones, ne summe sedis contemptus et omnium conculcatio et demolicio clericorum exempli crescente pernicie transeat ad sequaces.

Sanctissimo patri ac domino C. Dei gratia summo pontifici, Cameracensis ³⁾ electus salutem et promptum debite obedientie et devotionis famulatum. Quoniam pro Hur et Aaron,

1) et iniuriam et iuvamen Hs. 2) ecclesie Hs. 3) Caracenen. Hs.
In Cambrai ist 1197 Nicolaus II. erwählt.